



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem
Partes Brevis Ac Lvcvlenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

Veken, Frans van der

Coloniae, 1644

§ 3. De Collectis, Epistola, Euangelio, & Symbolo

urn:nbn:de:hbz:466:1-9878

§. III.

*De Collectis, Epistola, Euangelio,
& Symbolo.*

Postquam Sacerdos per Dei laudes eius quodammodo beneuolentiam captauit, ad orandum se conuertit, præmissa sollemni salutatione, *Domini- nus uobiscum*, de qua diximus Cap. 1. §. 3. eodemq; Capite, §. 11. de Collectis & responsione *Amen*. Sed ecce quàm aptè post orationes nostras subiicitur Dei sermo, siue per seruos eius Prophe- tas & Apostolos in Epistola, siue per ipsum Dei Filium in Euangelio expres- sus? Ut uidelicet moneamur, si uelimus Deum nos exaudire orantes, exaudia- mus eum docentem & præcipientem, faciamusq; quod ipse uult nos facere, si nostra desideria ab eo impleri cupia- mus, iuxta illud Scripturæ a: *Si manseritis in me* (per Fidem & Characterem)

& uer-

III. 2 a Ioan. 15.

Et verba mea in vobis manserint, (per doctrinæ meæ & præceptorum obseruationem) quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.

Sacerdos itaque, dum Epistolam vel Euangelium legit, ad vtrumque attendat, *non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei* a, è cælo nos alloquentis, instruētisq; doctrinâ vitæ, & ad omne genus virtutum inflamman-
tis. Legat eâ attentione, & reuerentia, qua par est, vt diuina oracula homo excipiat. Neque lectorem tantum vel *b* *auditorem* diuinæ eruditionis, sed *fa-* *ctorem* quoque se exhibeat, annotando semper aliquid quod vitæ suæ ac moribus ex cælesti doctrina componendis conueniat. Id in Epistolæ lectione nos monent applicatę ad librum manus, & velut operi admotę: Ad Euangelium verò, quod (teste Augustino) *inter omnes diuinas authoritates, quæ sanctis Litteris continentur, meritò excellit,*

K

plu-

2. 1. Thess. 2.

b Iacob. 1.

plures cæremoniæ adhibentur. Ac primò petit Sacerdos puritatem cordis & labiorum, ne rem sacram prophanus contingat. Deinde signum Crucis imprimit libro, vt indicet in eo contineri vitam, mores, prodigia, legemq; Crucifixi. Tum eodem signo se munit in fronte, ore, pectore. In fronte quidem sede pudoris, ne erubescat Euangelium. In ore, vt illud alijs prædicet. In pectore, vt idem fidei corde semper conseruet. Denique perlecto Euangelio, infligit osculum libro, vt tam charæ, quæ in eo continetur, doctrinæ, animam quodammodo affigat & mancipet.

Legitur porrò Euangelium ad cornu sinistrum Altaris, quia Iudæis, quos per dexteram designari diximus, Euangelium repellentibus, eius prædicatio translata est ad *Gentes* a. Præcedit lectionem spirituale canticum, quod Graduale dicitur, vt per spirituales affectus, qui in eo continentur, ad doctrinam

a Act. 13.

trinam Evangelicam melius disponamur. Diebus verò sollemnioribus Evangelium excipit recitatio Symboli: tum vt declaretur quisnam Euangelium à Christo & Apostolis prædicatum secutus sit fructus: tum vt impleatur illud Apostoli *a: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Pro fructu autem spirituali, recitabit illud Sacerdos distinctè & deuotè, & ad ea præsertim attendet, quæ in Sacrificio vsui veniunt, vt ad diuinam omnipotentiam, diuinam Christi humanamq; naturam, passionem eius, resurrectionem, aliaq; in quorum fide pleraque fundantur, quæ in principalioribus Missæ partibus profecuti sumus.

Poterit verò ad inuisibilem Christi in Sacramento præsentiam speciatim reflectere, quando Deum non solum *visibilem*, sed etiam *inuisibilem* Creatorem agnoscit. Quare tunc incipiat

K 2 ani-

a Rom. 10.

animum paulatim supra sensus erigere, cogitando rerum veritatem istorum limitibus non circumscribi: imò eo veriora quæque & nobiliora existere, quo magis sensuum nostrorum iudicium, ac plebeiam veluti censuram transcendunt. Quid primum omnis vitæ spiritualis principium, in hoc maximè spirituali Sacrificio, ante oculos habendum.

§. IV.

De postrema Missa parte post Communionem.

Consumpto Sacrificio, digitisque ad Sacramenti, quod contigerunt, reuerentiâ ablutis, reuertitur Sacerdos ad Altaris cornu, vbi Missam inchoauit: vt significetur, Euangelicam Veritatem ad Iudæorum gentem, vnde primùm prodijt, sub mundi finem redituram. Atque hîc recitato versu & Collectâ vna vel pluribus, Deum meritò laudat
pro